

TEXTE

[PROLOG]

Carmina Chromatico quae audis modulata tenore,
Haec sunt illa quibus nostrae olim arcana salutis
Bis senae intrepido cecinerunt ore Sibyllae.

SIBYLLARUM DE CHRISTO VATICINIA.

PERSICA.

Virgine matre satus, pando residebit asello,
Iucundus princeps, unus qui ferre salutem
Ritè queat lapsis: tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent, immensi fata laboris.
Solo sed satis est oracula prodere verbo:
Ille Deus casta nascetur virgine magnus.

LIBYCA.

Ecce dies venient, quo aeternus tempore princeps,
Irradians sata laeta, viris sua crimina tollet,
Lumine clarescet cuius synagoga recenti:
Sordida qui solus reserabit labra reorum,
Aequus erit cunctis, gremio rex membra reclinet
Reginae mundi, sanctus, per saecula vivus.

DELPHICA.

Non tardè veniet, tacita sed mente tenendum
Hoc opus. hoc memori semper qui corde reponet,
Huius pertantant cor gaudia magna prophetae
Eximii, qui virginæ conceptus ab alvo
Prodibit, sine contactu maris. omnia vincit
Hoc naturae opera: at fecit, qui cuncta gubernat.

CIMMERIA.

In teneris annis facie praesignis, honore
Militiae aeternae regem sacra virgo cibabit
Lacte suo: per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, & eoo lucebit sidus ab orbe
Mirificum: sua dona Magi cum laude ferentes,
Obijcent puero myrrham, aurum, thura Sabaea.

SAMIA.

Ecce dies, nigras quae tollet laeta tenebras,
Mox veniet, solvens nodosa volumina vatum
Gentis Iudaeae, referent ut carmina plebis.
Hunc poterunt clarum vivorum tangere regem,
Humano quem virgo sinu inviolata fovebit.
Annuit hoc coelum, rutilantia sidera monstrant.

CUMANA.

Iam mea certa manent, & vera, novissima verba,
Ultima venturi quòd erant oracula regis,
Qui toti veniens mundo cum pace, placebit,
Ut voluit, nostra vestitus carne decenter,
In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Deliget, haec alias forma praecesserit omnes.

HELLESPONTICA.

Dum meditor quondam vidi decorare puellam,
Eximio (castam quod se servaret) honore,
Munere digna suo, & divino numine visa,
Quae sobolem multo pareret splendore micantem:
Progenies summi, speciosa et vera Tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernet.

PHRYGIA.

Ipsa Deum vidi summum, punire volentem
Mundi homines stupidos, & pectora caeca, rebellis.
Et quia sic nostram complerent crimina pellem,
Virginis in corpus voluit demittere coelo
Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus almae
Matri, quo miseros contracta sorde levaret.

EUROPAEA.

Virginis aeternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles & montes transiet altos.
Ille volens etiam stellato missus Olympo,
Edetur mundo pauper, qui cuncta silenti
Rex erit imperio: sic credo & mente fatebor:
Humano simul ac divino semine gnatus.

TYBURTINA.

Verax ipse Deus dedit haec mihi munia fandi,
Carmine quòd sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet quae Nazareis in finibus, illum
Quem sub carne Deum Bethlemica rura videbunt.
O nimium felix, coelo dignissima mater,
Quae tantam sacro lactabit ab ubere prolem.

AGRIPPA.

Summus erit sub carne satus, charissimus atque,
Virginis & verae complebit viscera sanctum
Verbum, consilio, sine noxa, spiritus almi:
Despectus multis tamen ille, salutis amore,
Arguet & nostra commissa piacula culpa:
Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

ERYTHRAEA.

Cerno Dei natum, qui se demisit ab alto,
Ultima felices referent cum tempora soles:
Hebraea quem virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis,
Magnus erit tamen hic divino carmine vates,
Virgine matre satus, prudenti pectore verax.

FINIS